



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Ill[ustrissi]mo Et Excell[entissi]mo Principi Ambrosio Spinolæ Balbatiaë
Marchioni, Avrei Velleris Eqviti, Regi Catholico A Consiliis Statvs, Per
Italiam Ac Belgivm Archistratego, Etc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

ILL^{MO} ET EXCELL^{MO}
PRINCIPI
AMBROSIO
SPINOLÆ
BALBATIÆ MARCHIONI,
AVREI VELLERIS EQVITI,
REGI CATHOLICO
A CONSILIIIS STATVS,
PER ITALIAM AC BELGIVM
ARCHISTRATEGO, ETC.

PIENTISSIMAM vitam
heroici Religiosi, glo-
riosissimamque mor-
tem religiosi Herois
P. CAROLI SPINOLÆ, Italico
sermone conscriptam P. FABIVS

* 2

AM-

AMBROSIVS SPINOLA quodam cognationis debito Illustrissimis gentis SPINOLÆ Proceribus dedicauit. Eamdem verò Latinitate donatam Tibi, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, illorum Procerum clarissimo Duci, Pater HERMANNVS HVGO, quadam officij obligatione debebat. Sed antè lucis vsuram amisit Pater, quàm eius ille partus in lucem editus esset. Patere igitur hanc veluti postumã prolem tutelę Tuæ commendari; quam, nisi vltro offerretur, iure vindicares: iure, inquam, consanguinitatis cum CAROLO, ac deinde beneuolentię & affectus in Patrem p. m. HERMANNVM HVGONEM, quem plures annos à sacris Tibi Confessionibus, charum

rum acceptumque Patrem tuum
spiritualem nuncupabas. Et cer-
te, EXCELLENTIAE TVAE, Ita-
liam suam postliminiò reuidenti,
occurrere modò vel in imagine
CAROLVS debuit; vt ostenderet,
palmis laureisq̃ue è stirpe SPINO-
LA florentibus orbem vtrum-
que egregiè insigniri. Dum Tu
namque ferro Occidentem, ille
flammis Orientem illustrat. Scili-
cet hoc quoque accedere Genti
vestrae SPINOLAE decus debebat,
vt inter tot illius Principes, qui
stantes in acie vicerunt, hac etiam
ætate reperiretur, qui cadendo
triumpharet: & inter tot profa-
nas sacrasq̃ue Familiae vestrae pur-
puras illa excelleret, quæ sangui-
ne, Dei causâ profuso, gloriosissi-

* 3 mè

mè tincta , splendorem aeternae
maiestatis adfert generi vestro,
Societati nostrae, Orbi Christiano.
Nam profectò, ex illo acerbe-ho-
nifico rogo, quo arsit Phoenix
CAROLVS, virtutes illius illu-
striùs emicantes, & non iam vt è
Memnoniâ pyrâ cineribusque
Memnonides aues, sed veluti vo-
cales lusciniaë enatae sunt, quæ or-
be toto suauissimè gloriosissime-
que victorem illum decantant.
Eant nunc Iapones illi, non mi-
nùs à Deo alieni, quàm ab orbe re-
liquo distracti, & Religionem
ignibus extinguere moliantur;
magis accendunt. *Exarserunt* (li-
ceat enim hîc quoque illam Pro-
phetæ Regis Psalmo cxvii. de per-
secutoribus vocem vsurpare) *exar-
serunt*

serunt sicut IGNIS in SPINIS: hoc earum bono, quòd exinde luxerint clariùs, citiusque protulerint fructum suum. Crederes flammillas radiorum solis vice perfunditas, vt calore obstetricante feliciùs parerent SPINAE ROSAM, purpurâ sanguineâ rubescentem. Quid ni illam Tibi offeramus, PRINCEPS INCLYTE, in quo SPINAM quoque hostes sentiunt, ROSAM ciues experiuntur? Sic enim bellicas artes quodam pacis sapore studioque permulces, vt si illæ sanguinem aduersarium bibant, hæc suauissimæ humanitatis tuæ beneuolentiæque AMBROSIAM cunctis propinet. Vtrumque gratissimâ memoriâ Belgæ repetimus, quoties Te & armis

inuictum, & amantem pacis re-
cordamur. Quamquam non ea
Tui apud Belgas tantum memo-
ria & desiderium est; qui Palati-
nos, Italos, Hispanos implesti fa-
ctis tuis, famam terram uniuersam.
Quid restat, nisi ut caelis quoque
inuehant nomen tuum, illudque
*Cantantes sublimè ferant ad sidera
cygni?*

Benè habet: sic sublimè extulerunt.
Hoc à virtute tuà est: cuius non
alios limites quam terram caelum-
que, quanto apud nos desiderio
optamus, tanto affectu vouemus.

EXCELLENTIAE TVAE

deuotissimi

in Collegio Societatis IESV
Bruxellæ clientes.

ILLV.